

ANN. XIX - FASC. III

MENSE MARTIO MCMXXXII

# ALMA ROMA



OVIDQVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

*Nuperime prodiit*

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

## COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

### **Editio altera locupletior.**

Venit libell. italic. 8; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mile-  
siae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea  
facile agendis:

### **Fridianus-Francisculi prandium.**

Singulae pretio italic. libell. 2.

Supersunt quoque, recens forte reperta, nonnulla exemplaria operis,  
cui titulus:

## PARVUM ANTIBARBARUM

Ven. lib. 8.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus  
pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE col-**  
**lectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXI,  
paucorum exemplarium quae supersunt pretium constitutimus libella-  
rum 425 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 850, pro  
exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam  
syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requiren-  
dae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del  
Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut  
foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XIX

Romae, Mense Martio MCMXXXII

Fasc. III

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae sep-  
tentrioinalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante sol-*  
*vendum rectoque tramite mittendum* ad Iosephum Fornari doctorem, *Romam, 12, Via del Governo  
Vecchio, 96.*

## RADIOTELEPHONIA<sup>1</sup>

Datur ora tueri,  
Nate, tua et notas audire et reddere voces?  
(VERG., Aen., VI, 689).

*Maiores nostri, si effringere claustra sepulcri  
ac vita possent rursus in orbe frui,  
deferriri occulta currus virtute stuperent  
perque levem celeres aethera nare rates.  
Attoniti aspicerent progigni fulmen, ab ipso  
arte inopinata commoda plura trahi;  
namque novus Proteus, cuncta in miracula versum,  
fit pariter motus, lux, sonus, atque calor.  
Omnia sed cedant miracula prisca recenti,  
quo nunquam nimium mens animusque stupet.  
Nam quis speraret distincte dissita ab urbe  
sese auditurum suavisonos modulos  
atque statim melicos, praestant quicumque per orbem  
ad nutum artifices posse ciere domum?  
Elige; nam tantum eligere est tua cura quid optes;  
cuiusnam populi verba melosve cupis?*

<sup>1</sup> Quod Carmen hoc, in Locrensi certamine, ex C. Triumviri munificentia constituto, anno MCMXXXI,  
magna laude ornatum, cl. auctor, socius noster, nostris paginis edendum tradiderit, maximas ei habemus gratias

Ausoniis gaudes? rotulam converte parumper;  
en Roma. An Gallis? ecce, Tolosa canit.  
Afer et accitus, Dacus, Germanus, Iberus,  
Illyricus, Batavus, Belga, Britannus adest,  
nec renuunt, magna Oceanus quos distinet unda;  
quot subeunt digitos oppida clara tuos!

Arte hominum elicitum, antennaque par aethera fulmen  
cum tremitu emissum, bractea quo trepidat,  
vicinae quando percussa est murmure vocis,  
ocius et ventis, ocius atque sonis,  
absque ope filorum volucres excrescit in undas,  
icto oculi caeli quae per inane volant.  
Cumque urbes multae credant sua carmina caelo  
vibrantesque undae cum totidem volitent,  
haud tamen hae coeunt nec fortior unda minorem  
sorbet nec fractam saxa repercutiunt.  
Illam non imbris, non miscet saeva procella,  
at servat tremitus quaelibet unda suos.  
Haec, occulta tibi, primum capienda. Neque ingens  
hic labor, at satis est tendere fila cupri.  
Namque cupri cupidas, quas vis, captabis et illas  
in capsam poteris cogere daedaleam,  
quae cupri haud multis filis aptata reflexis,  
ardeat occulto lumine lampadibus.  
Multiplicis taedae hae virtute electridis ustae,<sup>1</sup>  
ut fervent atomis, non semel amplificant  
omnisonaeque tubae vertendos denique tradunt  
undantes tremitus. Bractea tum similis,  
non aliter vibrans, progignit prorsus eosdem,  
qui procul hinc tremitus iam genuere, sonos.

<sup>1</sup> Multiplex est virtus electrea, quae radiophonicae capsae lampades pervadit; quaeque enim lampas (vulgo valvolae), quatuor eget filis illam virtutem afferentibus. Aestu et quasi conflictu atomorum, quibus lampadum stamina electride candescantia constant, plures amplificantur tremitus illi, quos undae Hertzianae secum ferunt, qui denique in tuba vel capsae megaphonica (vulgo altoparlante) in sonos iterum convertuntur.

\* \* \*

Audis? hic Verdi est, nemo quo verius alter  
expressit melicis corda agitata modis.  
Nunc te Rossini, Wagner, Bizetque morantur,  
nunc Donizetti, nunc alii atque alii.  
Crebro Béethoven, miris concentibus aures  
et cor demulcens, detinet attonitum  
inque animum revocat marium nemorumque sonores,  
sidereas noctes, pascua, rura, lacus.  
Quique hausit caelo, terrisque fruenda Perosi  
praestitit angelicis carmina digna choris.  
Ausculta: quantum robur, quantumque leporis!  
quam varium cupida percipis aure melos!  
Femineo liquidi cantus nunc gutture vibrant,  
carmen queis cedat vel, philomela, tuum.  
Nunc tremulo elicunt lacrimas discrimine vocum  
perdocta chelion stamina pulsa manu.  
Organa nunc simul et querulis psalteria chordis  
et citharae et litui, plectra tubaeque sonant.  
Femineae aut centum voces totidemque viriles  
et simul et vario carmine saepe canunt,  
et cor commotum misceri in pectore sentis:  
gaudia sic illud, fletus amorque movent!  
Num turba audivit melius per curva theatra,  
cum promis sensus, dulcis Aida, tuos?  
Num quid Sirenes melius cecinere puellae,  
Musarum et Phoebi blandius ipse chorus?

\* \* \*

Quod si te cantus ceperunt taedia, praeco  
fausta infausta docet, quidquid in orbe novi est,  
quid paret inconstans in crastina tempora caelum,  
maiores fructus quomodo rura ferant,  
nummis mutandis quae sit iactura lucrumve,  
cui turba in ludis plausit olympiacis.

Saepe dat insignis medicus documenta salutis  
morborumque docet nos removere minas.  
Nunc quibus audire est moveantur legibus astra  
summorumve ducum verba cupita sonant.  
Et sunt fabellae pueris, clarusque sacerdos  
diva Evangelii iussa sequenda monet.

\* \* \*

O capsa, aethereis vivas quae expromis ab undis  
arte nova voces omnigenosque sonos,  
concedas ipsi tua dona fruenda popello  
et miseris etiam vox tua grata sonet.  
Vox tua grata sonet, dicens bona gaudia. Nunquam  
sed fundas resonis non pia verba tubis,  
neu violes sanctamque fidem sanctumque pudorem,  
quin bona, namque potes, pectore sensa sere.  
Demulce cantu tenebroso in carcere vinctos  
atque illos sceleris coge pudere sui.  
Qui soli et tristem degunt sine lumine vitam  
a te solamen subsidiumque trahant.  
Effetis senio, longa vel tabe peresis  
haud minima o venias tu medicina malis.  
Qui patriam quaerunt, alio sub sole iacentem,  
per mare, cum navis taedia longa ferunt,  
extera et in terra durum subiisse laborem  
coguntur, patrios, corde tremente, sonos  
excipient avidi, longaeorumque parentum  
et patriae terrae pectore perstet amor.  
Cur urbis posthac oblectamenta requirant,  
oppida qui parva et dissita rura colunt?  
Per te sancta domus firmantur vincula et ipse  
fortior evadit coniugialis amor.  
Surgitur a cena; tolluntur pocula, lances,  
nugarumque pater posthabitis sociis,  
stare domi mavult, cuiusvis machina ab ipso  
motus nam leges et moderamen habet.

Et rotulae intentus nunc hos, nunc accipit illos  
cantus aut voces, quae libeant melius.  
Uxor at interea, a caris adiuta puellis,  
lina colorato stamine pingit acu,  
seu vestes sarcit, calido seu linteal ferro  
comprimit, atque operans ebibit aure melos.  
Non incomposito pueri turbare tumultu  
gaudia, quae praestat capsula canora, solent,  
nec certant rixis, dantes quin cantibus aures  
cultu animi sensim nobiliore nitent.

\* \*

Ah mihi pars vitae maneat, cum electrea virtus,  
nota magis nobis, his potiora feret,  
quando domi sidens potero spectacula rerum  
mirari et pompas, templa, theatra, vias.  
Eventura precor. Sic denique in orbe vicissim  
se populi noscant auxilioque iuuent,  
et iam conspirent in munera pacis amice,  
bellicus ut sileat semper ubique furor.

S. Laurentii Novi ad Viterbum.



ACASTES BRESCIANI.

### DE SANCTI MARINI REPUBLICA

SUMMUM IMPERIUM SIBI ITERUM VINDICANTE

Respublica, quae a Divo Marino, Ariminensis ecclesiae diacono, nomen accepit, omnium Rerum publicarum antiquissimam originem sibi vindicat, quippe quae abhinc sexdecim saeculis, Diocletiano imperante, Marinum, ex Arbe insula mare Adriatico abluta, Ariminum adventantem excepit, qui lapidariam artem exerceret in eo Titano monte, ubi, collatis consiliis, in-

colae loci sibi sedes constituerunt, Marino duce. Legifer Marinus non potuit, Numam regem imitatus, a Nympha Egeria responsa accipere quae in leges commutari deberent, sed sacro Evangelio usus, inter paganos, ad Christianum morem parvam societatem constituit.

Labentibus saeculis, multa mala passa est ac praesertim illius Alberoni cardinalis opera, qui re publicam perdere ac delere statuerat. Sed perperam; Clemens enim XII iura ac privilegia eius vindicavit. Saeviente tamen socialistarum dominatu, sponte quibusdam privilegiis nun-

cium dedit, quae superiore anno vindicata et restituta fuerunt. Hoc anno, pridie kal. Octobres, *Generalis Consilii* senatus consulto, idem Generale Consilium vetus nomen, id est *Consilium Princeps*, anno millesimo septimo et nongentesimo, quo turbulentissimi cuiusque civis arbitrio omnia regebantur, nescio quia, abrogatum, ex iure iterum vindicatum sibi dedit. Pro dolor! Socialium rerum asseclae, omni dignitate posthabita, eodem anno, summo iuri Duces, Comites, Equites creandi nuncium dederant, sed idem ius, nuper elapsu anno millesimo nongentesimo primo et trigesimo, *Princeps consilium*, lege lata, sibi asseruit, nullo exterarum gentium Rectore contradicente, immo omnibus ubique probantibus.

Sed minime credendum est nostram Rempublicam hoc iure abuti solitam; per raro enim haec nobilitatis nomina conceduntur. Inter eos viros, qui his nominibus sunt honestati, revocandus est nobilis ille vir Avigdor, qui Lutetiis Parisiorum Reipublicae Sammarinensis legatus, Comes renuntiatus est.

Summum suum ius Respublica Sammarinensis sibi etiam vindicavit quum *monetarium pactum* Respublica una cum Italico Regno et non multo post cum Vaticana Urbe sanxit. Quinquaginta millia argentorum quinque libellarum pretio; vigintiquinque millia decem libellarum; decem millia viginti libellarum signata fuerunt. Iam haec postrema argenta per raro inveniuntur eorumque caritas emporum opera adscribitur, qui vim quam maximam eorum colligunt, atque opportuno tempore multo maiori eadem, venditare sibi proposuerunt.

Mense Maio adventante, nono kal. Iunias, quo die italicum bellum indictum est, ferreæ viae electrica vi ductae erit dedicatio, qua, e Titano monte Ariminum usque et ad mare Adriaticum, horae unius lapsu, accedere fas erit. Quod opus, pro-

videntia Italici gubernii Praesidis Musolini expletum est, nam pecuniae vis ad id tanta erat, ut parva Respublica nunquam suis viribus suaque stipe id efficere potuisset.

Quae omnia, voluntate ac viribus, multas gravesque difficultates exuperans, Iulianus Gozi, Reipublicae Sammarinensis a secretis, initiv atque perfecit, summa re moderantibus Dominico Suzi-Valli; Marino Morri.

Sic stantibus rebus, Sammarinenses Patres conscripti de bene factis rebus iure gaudere possunt, sed maiore laude concendi sunt de firmo pectore quo bonos mores antiquorum patrum tutati sunt.

Non solum gymnasium, non solum Ephebeum ad bene componendos adolescentium animos exercent, redditibus ac sanctis legibus firmaverunt, sed omnibus vitiorum illecebris restiterunt. Terque, quaterque invitati ut, loci amoenitatem a mense Maio ad Septembrem usque prorsus unam atque nulli locorum conferendum in utilitatem ac lucrum converterent, domum ad ludum aedificando, sub pretextu domus valetudini instaurandae, facultatem enixe petitam, nunquam concesserunt.

Conditor noster Marinus pauper et humilis in paupertate atque in humilitate libertatem patrum nostrorum posuit, nec nos ab eis degeneres aevum agere statuimus; pecunia vestra vobiscum sit; nos animam nostram in perditionem nunquam dabis.

Tali modo patres conscripti cogitantes blanditias atque invitamenta vitiorum a Reipublicae finibus propulerunt.

Ex Rep. S. Marini, mense Martio MCMXXXII.

A. AURELI.

*Qui recte vivendi prorogat horam,  
Rusticus exspectat, dum defluat amnis; at ille  
Labitur, et labetur in omne volubilis aevum.*

(Hor., Epist. I, 2, 41).

## DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA<sup>1</sup>

### De pronominibus eleganter usurpandis.

IV. — Quatenus est adiectivum, «quidam» proprie qualitatem indefinite effert. Hinc saepe apponitur

1º substantivis et adiectivis, ad lenientiam dictionem, quum vel gravior vel audacior videri potest, et praesertim quum a propria significazione ad figuratam audacius videtur translata;<sup>2</sup> v. g.:

*Subtilitate quadam* disputandi refellere eorum instituta solebat (Cic., Brut., 8, 31).

Est ardilionum *quaedam* Romae notio. (Phaedr.).

Studium et *ardorem quemdam* amoris, sine quo nihil quidquam egregium nemo unquam assequetur (Cic., De or., I, 30, 134).

Ex tuis litteris cognovi *praeposteram quamdam festinationem* tuam (Cic., Fam., VIII, 8):

Fuit enim illud *quoddam caecum* tempus servitutis (Cic., Fam., XII, 25).

2º Quibusdam adiectivis, ut «admirabilis, incredibilis, egregius, innumerable, magnus, ingens, eximius», etc., ad eorum vim augendam; v. g.:

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

<sup>2</sup> Tunc pronomi «quidam» saepe adiunguntur «quasi» aut «tanquam»; v. g.: In philosophia quasi tabernaculum *quoddam* vitae collocavi (Cic.). — Translatum verbum *maxime tanquam* stellis quibusdam ornatum et illuminatum orationem (Cic.).

NB. — «Quasi» etiam solum usurpatur ad lenientiam seu corrigendam dictionem, aut *tanquam*, aut *ut ita dicam*, aut *pene*; v. g.: Solum quidem et *quasi* fundamentum oratoris vides locutionem emendatam et latinam (Cic., Brut., 74, 258). — Amicos non parare, optimam et pulcherrimam vitae, *ut ita dicam*, superlectilem (Cic., De Am., 15, 55).

b) Usurpatur etiam *prope* cum adiectivis; v. g.: Summus homo et divina *prope* memoria (Cic.).

*Incredibilis quaedam* et divina virtus (Cic., De Repub., III, 3, 4).

Ipsius in mente insidebat species pulchritudinis eximia *quaedam* (Cic., Orat., III, 9).

V. — Pronomen «quisque»<sup>1</sup> adiungitur more enclytice.

1º reflexivis<sup>2</sup> et reciprocis; v. g.: Pro se *quisque* quod coperat afferebat (Cic., Off., III, 14, 58).

Rogat ut in *sua quisque* dicat navi se tantum habuisse nautarum quantum oportuerit (Cic., De Suppl., 39, 102).

Soleo dare operam ut de *sua quisque* re me ipse doceat (Cic.).

*Suum quisque* flagitium aliis obiectantes (Tac.).

2º relativis et correlativis;<sup>3</sup> v. g.:

Latrocinia nulla habent infamiam, *qua* extra fines *cuiusque* civitatis fiunt (Caes.).

*Quod cuique* obligit, id *quisque* teneat (Cic., Off., I, 7).

<sup>1</sup> Differt ab «omnis» quod cunctos simul significat; «quisque» distributionem quaedam continet. (FORCELLINI).

<sup>2</sup> «Quisque» interdum reflexivo praeponitur. Hoc fit imprimis: 1º quum ad duas simul propositiones pertinet; v. g.: *Quanti quisque se ipse facit, tanti* sit ab amicis (Cic., De Am., 16, 56); — 2º quum symmetria cura habenda est; v. g.: *Ut quisque sibi plurimum confidit et ut quisque maxime virtute munitus est* (Cic., De Am., 9, 30); — 3º quum in reflexivo comordandum est; v. g.: *Quod quisque sua manu ex hoste captum domum retulerit* (Tir. Liv., V, 20, 8).

<sup>3</sup> a) Dicit potest: «Quo, quanto quis vel quisque eo (hoc), tanto ... cum comparativis.

NB. — Eodem sensu gaudet «ut quisque... ita» cum superlativis; v. g.: *Ut quisque* est vir *optimus, ita difficilime* esse alios improbos suspicatur (Cic., Ad Quint fr., I, 1, 4, 12). — Colendum esse *ita quemque maxime, ut quisque maxime* virtutibus erit ornatus (Cic., De Off., I, 15, 46).

b) Tunc «quisque» ponitur 1º fere in propositione subiecta; v. g.: *Quam quisque norit artem, in hac se exerceat* (Cic., Tusc., I, 18, 41) — 2º raro et in subiecta et in primaria; v. g.: *Quod cuique obtigit, id quisque teneat* (Cic., De Off., I, 7, 21) — 3º rarissime in primaria solum; v. g.: *Tantum quisque laudat, quantum se posse sperat imitari* (Cic., Or., 7, 24).

*Quam quisque* norit artem, in hac se  
exerceat (Cic., *Tusc.*, I, 18, 41).

*Quanta cuiusque* animo aut moribus  
audacia natura inest, tanta in bello patere  
solet (Sall.).

3º) Interrogativis; v. g.:

Videndum est *quid quisque* sentiat (Cic.).

Quaerit ex iis singillatim *quot quisque*  
nautas habuerit (Cic., *De Suppl.*, 39, 102).

Statuisti *quo quemque* proficiisci pla-  
ceret (Cic., *Cat.*, I, 5, 10).

4º) Ordinalibus, ad distributionem si-  
gnificantiam; v. g.:

*Quartus quisque* annus est intercalaris  
(= quartus ex quaternis).

*Septimus quisque* dies sacris faciendis  
est dicatus.

*Decimum quemque* capite plecti iussit.

5º) Superlativis; <sup>1</sup> v. g.:

*Postremam enim quamque* navem pi-  
ratae primam adoribantur (Cic., *De  
Suppl.*, 34, 90).

<sup>1</sup> a) Et iis quae vim superlativi habent (FORCEL-  
LINI); v. g.: Ex variis ingenii excellentia quaque  
libavimus (Cic.).

b) « *Quisque* », annexum superlativo, idem est  
ac « *omnes* » cum positivo, addita distributionis signifi-  
catione; v. g.: *Optimus quisque, optimi quique* (=  
omnes boni).

N.B. — Quum sequitur verbum, praeterea gradationem quamdam exprimit; v. g.: *Altissima quaque*  
flumina minimo sono labuntur (QUINT. CURT., VII, 14).

c) Non raro usurpatur in propositionibus com-  
parativis *cum* superlativo; v. g.: *Ut quisque* est vir  
*optimus*, ita difficilime alios esse improbos suspicatur  
(Cic.). — *Ut quisque maxime* opis indiget, ei potis-  
simum opitulari debemus (Cic.).

d) « *Quisque* » significans « quivis, quilibet » non  
est optimae latinitatis. Hoc sensu usurpatur praece-  
tim a recentioribus; v. g.: *Quisque* mitis est, Dei imi-  
tator est (S. CYPR., *De bono patientiae*, 5), — (Cfr.  
LAURAND, op. cit., n. 359).

N.B. — Hoc sensu imprimis gaudet in proposi-  
tione incidente et relativa; v. g.: *Puer cur quidque*  
fieret, interrogabat. — *Vallum sumpsere, unde cuique*  
proximum fuit (Tir. Liv., III, 27).

Hinc eiusdem usus post « *quotus* »; v. g.: *Quotus-*  
*quisque* philosophorum est (= *quotus* est *quisque* phi-  
losophorum), qui sit ita moratus ut ratio postulat  
(Cic., *Tusc.*, II, 4).

*Maximae cuique* fortunae minime cre-  
dendum est (Tit. Liv.).

Vitellius, non virtutibus ut boni, sed,  
quomodo *pessimus quisque*, vitiis valebat  
(Tac.).

VI. — In vocabulo « *ceteri* » semper  
inest oppositio; in « *reliqui* » semper per-  
spicitur residuum aliquod; <sup>1</sup> v. g.:

Et illum et *ceteros* sophistas lusos vi-  
demus a Socrate (Cic., *Fin.*, 2, 1).

Pompeius plura bella gessit quam *ce-  
teri* legerunt (Cic.).

Caesar duas legiones in castris reliquit;  
*reliquas* pro castris constituit (Caes.).

Illud habet consul, ut ei *reliqui* magi-  
stratus omnes pareant, excepto tribuno  
(Cic., *De Leg.*, 3, 7).

VII. — « *Uterque* » <sup>1</sup> semper est sin-  
gularis numeri; <sup>2</sup> v. g.:

*Uterque* loquitur.

*Uterque* eorum ex castris aestivis exer-  
citum educunt (Caes., *Bell. civ.*, III, 30).

*Uterque nostrum* scit (Cic.).

*Uterque* me intuebatur, seseque ed au-  
diendum significant paratos (Cic.).

2º) Nisi ex utraque parte plures sunt; <sup>3</sup>  
v. g.:

A quibus *utrisque* (= a poëtis et a co-

<sup>1</sup> Hinc nullo loco *cum* verbis antecellendi et praecel-  
lendi iunctum legitur vocabulum « *reliqui* », sed vel  
« *ceteri* » vel « *alii* »; v. g.: Aedes duae, quae longe  
ceteris antecellunt (Cic., *Verr.*, II, 4, 5).

N.B. — Nec magis invenies « *praeter reliquos* »  
pro « *praeter ceteros* », ea scilicet significazione qua  
recentiores uti solent « *prae ceteris* » (GANDINO).

<sup>2</sup> Quo autem numero efferatur verbum sequens,  
videamus infra.

<sup>3</sup> Cum collectivis, aut plurali aut singulari nu-  
mero effertur « *uterque* », iuxta mentem scribentis:  
v. g.: *Utraeque nationes* Rheno praetexuntur (TAC.,  
Germ., 34). — *Utraque gens*.

b) Legitur interdum pluralis quum ex utraque  
parte unus tantum est; v. g.: *Utrorumque* Dionysio-  
rum opibus (CORN. NEP., *Timol.*, 20). — Binos habe-  
bam scyphos: iubeo promi *utrosque* (Cic., *Verr.*, I,  
4, 14).

moedis) submittitur aliquid (Cic., *Orat.*,  
3, 26).

Grandes natu matres et parvuli liberi,  
quorum *utrorumque* aetas misericordiam  
nostram requirit (Cic., *De Suppl.*).

3º) Aut « *uterque* » nomina substi-  
tiva comitatur quae tantum plurali nu-  
mero gaudent; <sup>1</sup> v. g.:

*Utraque* castra munita sunt.

VIII. — « *Alter* » usurpatur loco « *alius* »  
quum aperte vel occulte de duobus tantum  
agitur. <sup>2</sup> Saepe repetitur in alio casu;  
v. g.:

*Alter* in *alteram* causam conferunt.

S. Leonardi in Helvetia.

(*Ad proximum numerum*).

I. Jss.

<sup>1</sup> « *Uterque*, ambo, duo » hoc inter se differunt:  
« *duo* » pluralitatem, ut ita dicam, tantum exprimit;  
« *ambo* » indicat duas personas aut res in unum velut  
coalesce; « *uterque* » indicat ex duabus personis aut  
rebus unamquamque seorsum spectari; v. g.: Duo se-  
natores mihi obviam facti sunt, *ambo* salutavi, *uter-  
que* resalutavit.

N.B. — Sic differt « *ambo* » ab « *uterque* », ut si  
dicam « *ambo* fecerunt domum », significat duos con-  
iuncta opera unam domum fecisse. At « *uterque* fecit »  
vel « *fecerunt domum* » valet perinde ac si dicam a  
duobus duas domos fuisse factas. Tametsi fortasse hoc  
discrimen perpetuum non est (FORCELLINI).

<sup>2</sup> a) « *Alter* » oppositionem inter duo significat;  
v. g.: Helvetii continentur una ex parte flumine  
Rheno; *altera* ex parte monte Iura (CAES.).

N.B. — Etsi reapse plures sint, Latini saepe unum  
alteri opponunt. Hinc « *alter* » saepe videtur usurpari  
pro « *alius* »; v. g.: Detrahere *alteri* sui commodi  
causa contra naturam est (Cic.).

b) « *Alter* » saepe significat <sup>1º</sup> « *proximus* »  
tempore sive futuro sive etiam praeterito; v. g.  
(Dicit) *se altera die venturum* (CAES., *De bel. civ.*, III,  
19, 4) — <sup>2º</sup> « *secundus* »; v. g.: Vide quam mihi per-  
suaserim te me esse *alterum* (Cic., *Fam.*, VII, 5, 1).

c) Genitivus « *alterius* » plerumque vices gerit  
genitivi « *alius* », qui rarissimus est: v. g.: Omnia  
quae iucunda ex humanitate *alterius* homini accidere  
possunt (Cic., *Ad Attic.*, I, 5, 1).

<sup>3</sup> a) Ita etiam « *alius* » cum suis casibus copulatur;  
v. g.: *Aliud aliis* videtur optimum.

N.B. — Huic constructioni vicina est repetitio  
harum vocum loco coniunctionis « ac, atque »; v. g.:

## DE SACRORUM MYSTERIORUM REPRESENTATIONE

Quae de Christi Passione atque Resur-  
rectione Evangelium enarrat portenta, ea  
semper tum poëtarum tum pictorum ani-  
mos perculerunt, ut maximis in ingenua-  
rum artium operibus videre est.

De re igitur, satis perspecta omnibus,  
verba haud facimus; de alia potius Pas-  
sionis Dominicae et aliorum mysteriorum  
repraesentatione loquemur, a qua, populari  
nota, insigni plerumque, novum dramatis  
genus, nempe sacrum, obortum est.

Esti enim bellatorum Crucis tempore  
effingendae inter populos Dominicae Pas-  
sionis consuetudo a plerisque inita tra-  
datur, ea tamen a primis usque Ecclesiae  
temporibus invaluit. Christianorum ipsae  
coemeteriorum picturae — Priscillae coe-  
meterium, ubi in murali pariete Iesus  
spinis redimitus conspicitur, exemplo est —  
hanc popularis memoriae originem evin-  
cunt; qui paullatim usus ad nostra usque  
tempora, *Viae Crucis*, quod dicimus, pio  
itinere adhuc viget. Nec desunt immo veteres  
scriptores, qui mysteriorum sacrorum  
forma quomodo scaenica arte repre-  
senteretur, Ioannem Chrysostomum primum  
docuisse censuerint.

Sed licet haec missa fecerimus, usum  
tamen repraesentandi mysteria sacris ex  
illustrationibus sacrisque ex Ecclesiae ri-  
tibus primam originem duxisse putamus.

*Aliud* loquitur, *aliud* sentit (= *aliud* loquitur ac  
sentit).

b) « *Alter* » adverbia nulla format; « *Alius* »  
adverbia a se derivata recipit; v. g.: *Alius* cum *aliis*  
loquitur. — *Aliis* *aliunde* periculum est. — *Aliud*  
*alias* mihi videtur.

c) Pro « *unus*... *alter* » vel « *unus*... *alius* » repe-  
tuntur frequentius « *alter* » vel « *alius* »; v. g.: *Alter*  
ludit, studet *alter*, — *Aliis litterae*, *aliis* venatio  
placeat.

His enim spectaculis populi desiderium adimplebatur, quo paullatim duce, et aucta, et ampliata, et veluti in scaenam posita sunt.

At vetus quoque Testamentum sacris tragediis argumenta praebebat, quamvis Dominica Passio longe maiora proferret. De Crucis bellis autem id forte tantum tenendum est, plurimum contulisse ut Crucis mysteria magis quam veteris legis gesta recolerentur.

Anglorum cura itaque, xii saeculo, Christi resurrectio sive *avatoris*, celebrata Iudis scaenicis fuit; haec vero iuxta superstites notas scribimus, incertian antiquiora quoque dramata prodierint.

Primum autem sacra, quae vocabant, mysteria in templis tantum populo oblata sunt, et sacris ritibus quodammodo commixta apparuere. Saeculo vero xiii iam Episcoporum decretis cautum est, ne ea inter tempora agerentur, quae populum nimis ad clamores et fremitum commoverent.

Mysteria igitur ex templo ejecta in porticibus, seu *ἐποράδοις* acta sunt. Ut vero laicorum sodalitia passim, quae clero inter sacra cooperabantur, crevere, ita opera praesertim eorum semper mysteria exhibita sunt. Quamobrem anno MCCCCII Parisiis Sodalitum, quod a Dominica Passione nuncupabatur, proprium veluti ius hanc effingendi sibi vindicavit.

Sed antiquitus iam apud Italos locum res obtinuerat; nam Patavino in campo, quem de Valle vocabant, id primum factum a Ludovico Antonio Muratorio commemoratur; <sup>1</sup> mox in Foro Iuliensi regione, anno MCCXCVIII, die Pentecostes atque eius per octavam, plura huiusmodi mysteria perducabantur: Passionis, et Resurrectionis, Ascensionis atque Iudicij, Tarvisii sodalitum erat *Verberatorium*, qui quum Deiparam ab Angelo salutatam repreäsentarent, duos clericos sibi adiungebant, qui

angeli personam Mariaeque gererent. Similiter eius in legibus videmus publici ludi magistros ad necessarias vestes iis comparandas obligatos, et singulorum cantorum mercedem praestitutam. Quum autem plerumque Paschatis diebus hae feriae haberentur, *Paschales ludi* vulgo appellabantur.

Quos quidem ludos non meridionalis tantum Europae populi impense colebant, sed nordicae ipsae nationes. Quinimo et fabella quaedam, in Suetiorum populo diffusa, narrat coram Ioanne II rege, mysteria sacra quum peragerentur, Longini centurionis personam gerentem lancea ita Iesu Christi munere fungentem percussisse, ut prorsus enecaret. Cecidit hic itaque, atque genuflexam ad crucem Mariam Magdalenan pondere suo suffocavit. Tunc tradunt iratum regem interfecisse Longinum, eaque crudelissima ultiōne commotum populum ita fuisse, ut, elata seditione, regem trucidaverit. Quae etsi abnormia et parum veritati consona videantur, docent tamen qua de causa non iniuria eos ludos ex templo canonicae leges eiecerint, qui saepe profanam potius quam sacram pompam praeseferebant, gravesque haud raro tumultus excitabant.

Quae profecto causa fuit ut Romae quoque, licet ad Pauli III Pontificis aetatem ludi perduraverint, eius decreto ann. MDLII intermissa omnino fuerint. Romae autem, ob sacras praesertim martyrum memorias, locus ad rem electus erat Amphitheatum Flavium, cuius in arena, spectante circum per gradus plebe, Christi Passio agebatur. Sed ante drama supremum, pompa ad instar, vel *Viae Crucis*, supplicatio diurna ducebatur, a Capitolinae arcis radice usque ad arenam. Ex templo nimurum Deiparae in *Campo Carleo* sacro, apud Traiani forum, res initium repetebat, ubi aedicula erat nomine *Spolia Christi*, quia ibi qui Iesum repreäsentaret vilibus vestibus in duebatur. Modo per forum flumen versus

pompa ducebatur ad *Domum Pilati*, turrim scilicet quamdam, saeculo xi exstructam, quae ad nostros usque dies nomen servavit; deinde ad Herodem et ad Caiapham prope parvum Solis templum in platea a S. Maria in *Cosmedin* nuncupata.

Postremo, uti diximus, piae feriae in Amphitheatro concludebantur; ubi saeculo erat Iesu Servatori sacrum, *de rota colisei* dictum, quod postremo, xv. occidente saeculo, Pii Sodales a *Vexillo* (*vulgo del Gonfalone*) sibi emerunt et Deiparae a Pietate dicarunt; quoniam sodales illi, ab anno usque MCCLXIV primum congregati, praecipuam mysterii partem iure suo sibi tribuebant. Cuius pompam descriptam a Germanico viatore habemus Arnulpho Starff, qui anno MCCCCLXXXVII, Romae quum esset, eam vidit et vehementer est admiratus.

Sed furentibus saepe civibus in eos, qui Iudeorum vel militum partes agerent, et ad lapides et arma venientibus, ii tumultus nonnunquam Romae quoque excitatis sunt et clades, ut spectaculum tandem prohiberi omnino necesse fuerit.

X.

## SAPIENTUM PERVESTIGATIONES

A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE

LATINE VULGATAE

### NOTAE.

NOVA QUAEDAM INTERPRETATIO PRO DEFLEXIONE LUCIS.

Doctor W. D. MacMillam ex athenaeo Chicaginensi in epistula sua ad commentarium *Nature* missa, novam quandam interpretationem proposuit illius phaenomeni, quod «effectum Doppler» dicimus, pro luminis radiis ex remotis nebulosis procedentibus.

Si deflexio haec spectrale partem versus longioris undae uti «effectus Doppler» accipitur, attribuere debemus nebulosis illis velocitatem recessionis pergrandem; quod non satis probabile videtur.

Potest e contra hoc admitti, cum Dre. MacMilliam, vim photonum, per longissimam viam, quae pluribus lucis annis computatur, paullatim decrescere: tum vero, iuxta Planki legem, decrescere debet etiam et frequentia lucis, hoc est, versus rubrum deflecti.

Decrementum hoc legem exponentiam sequi facile admittere possumus, sed et effectum Doppler per similem legem exprimere haud difficile appetit.

Certe ex hac vis dispersione sequetur in spatio abundare vim longioris undae, sed haec facile captari potest a materia diffusa.

Nova haec hypothesis haud spernenda videtur. Dicere fortasse possumus legem a Planck datam, pro relatione inter vim in photonis et eorum frequentiam, non esse adhuc tam firmam uti est effectus Doppler; sed certe etiam lex Plancki veritati respondet, saltem quoad contentum, nisi etiam quoad formam.

Nec valde dolendum si per hanc interpretationem fundamentum deficit pro theoria expansionis in universo; libentius enim universum ut staticum accipere fas est.

I. GIANFRANCESCHI.

### NOTITIAE.

DE «PHOTOELECTROGRAPHO».

Ita vocatur apparatus a Thomas et Conland recens inventus, quo ordinarii characteres, praelo impressi, in alios ex plano eminentes, et proinde tactu legibiles, evadunt.

Lucis pennicillo litera illuminatur et automatice alia exsurgit magnificata et sensibilis.

Nec necesse est literas amplas esse;

<sup>1</sup> *Rerum Italic. Script.*, vol. VIII, pag. 365.

communia scripta typographica apta sunt traductioni tactili.

Nemo non videt quam pretiosum pro caecis haec inventio adiumentum praestet.

#### NOVA APPLICATIO AMPULLAE THERMOIONICAE.

Multis iam in casibus ampulla thermoionica adhibetur pro religatione circuiti electrici (*relais*).

Recens introducta est in stateris aërodynamicis. Necessa enim est ut, deficiente equilibrio, statera automatica claudat circuitum ad motorem excitandum, sed stante oscillatione staterae, haud facile operatio fiet per alias religationes; perutilis proinde evadit introductio ampullae.

#### DE INQUISITIONE IN MORBOS ANTIQUORUM.

Dr. L. Moodie examini subiecit per radios X plurimas gabarras adhuc in sarcophagis inclusas, quae exstant apud « Museum Scientificum » Chichaginense.

Nota dignum videtur, potuisse ex ipsa inspectione morbos detegere quibus defuncti defatigabantur.

Generatim signa invenit eorundem morborum, qui et hodie communes sunt.

Difficilis fuit inspectio capitis; nam diligentiori cura et plurimis substantiis defensum est.

#### DE INVENTA AMYGDALA.

Dr. G. A. Blanc Romae resert se invenisse amygdalam typi Chelleani in terris quaternariis vallis tiberinae apud pontem Milvium.

#### DE ORIGINE PETROLEI.

De origine olei mineralis Dr. F. Sacco, qui per quadraginta annos in rem inquisivit, haec summatim tenet:

Petrolea generatim inveniuntur in terris secundariis, non in petris originis.

Existit nexus geneticus inter hydrocarburos et manifestationes endogenas.

Hydrocarbura proveniunt ex profundioribus stratis.

Petrolea originem inorganicam, synteticam, endogenam vel cosmicam generatim habent.

#### DE DEPOSITIS CARBONIFERIS.

Carbonis deposita recentius detecta sunt:

in Dalmatia apud Voci; in Arcipelago « Terra Francisci Iosephi »;

in Ucraina apud Nikiforvka, ubi lignites stratus perintenti inveniuntur.

#### SULPHURIS STRATUS.

Sulphuris stratus apud Gaurdak, inventi abhinc duos annos, apparent talis esse extensionis, quae applicationibus pro Russia quaesitis sufficiens praebant emolumenutum.

#### DE ALUMINIO PARANDO.

Nova methodus pro preparatione aluminii a Dre. Schmatjho excogitata est in reactione inter caolinum ucrainum et carbonatum sodicum et gypsum, sub actione caloris.

## COLLOQUIA LATINA<sup>1</sup>

### Scriptio.<sup>2</sup>

TIT. – Ventum est, quo volebamus. Assideamus in his saxis.

MANR. – Etiam, sed aversi a sole.

TIT. – Mutua mihi dimidium chartae folium, quod reddam cras.

MANR. – Sufficit tibi hoc frustulum?

<sup>1</sup> Ex colloquiis IOANNIS LUDOVICI VIVES. - Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

<sup>2</sup> Cfr. fasc. sup.

TIT. – Hui! non capiet sex versus, ex meis praesertim.

MANR. – Scribe in utraque facie, et fac versus densiores; quid necesse habes tam magna interstitia relinquere?

TIT. – Egone? Vix intervallum est ulum: nam litterae sese utrinque attingunt, praesertim quae longos habent apices aut pedes, ut *b* et *p*. Sed quid tu? Iamne duos versus exarasti? Et quidem eleganter, nisi quod sunt pravi.

MANR. – Scribe tu seorsum, et tace.

TIT. – Enimvero pinnula et atramento hoc, scribi nullo pacto potest.

MANR. – Quid ita?

TIT. – Non cernis, ut pinnula resperrgit chartam atramento extra litteras?

MANR. – At atramentum meum adeo est crassum, ut línum esse credas. Aspice, amabo, ut haeret in summa crena, nec ad characteres formandos defluit. Quin igitur utrius incommodo medemur? Tu novam pinnulam calamo aptes; ego in atramentarium, quo sit atramentum liquidius, instillabo guttas aquae aliquot. Optimum esset acetum, si haberem ad manum; nam hoc, vi sua, statim disrurat densum atramentum.

TIT. – Verum, sed periculum est, ne acrimonia sua chartam penetret.

MANR. – Nihil tale metuas; haec charta maxima omnium continet atramentum, ne effluat.

TIT. – Extremae huius tuae chartae orae inaequales sunt, rugatae et asperae.

MANR. – Tibi semper levissimae offensiones satis magno impedimento sunt, ne pergas, sed quidquid est in manibus, abiicias illico.

TIT. – Redeamus iam ad paeceptorem.

MANR. – Videtur tibi tempus?

TIT. – Metuo ne paepterierit iam tempus; nam solet mature coenare.

MANR. – Eamus. Pulsemus fore annulo, etsi patentes; nam hoc fuerit urbanius. Ta, ta ...

\*\*\*

PUER. – Quis istic? Recta introeas quis es.

MANR. – Nos sumus. Ubi est institutor?

PUER. – In conclavi.

TIT. – Omnia sint tibi fausta, paeceptor.

MAGISTER. – Feliciter veneritis.

TIT. – Effinximus quinques, aut sexies tuum exemplar in eadem charta: referimus hoc opus nostrum ad te, emendandum.

MAG. – Recte facitis. Ostendite. – Post hac relinquitate maiorem intercedinem versuum, ut sit ubi ego possim corrigere vestra errata ad emendationem. Hae litterae sunt admodum inaequales; quod est in scribendo foedum. Animadverte quanto maius est *m* quam *e*, et *o* quam orbis huius *p*; nam litterarum corpora oportet esse aequalia.

TIT. – Quid, quaeso, vocas corpora?

MAG. – Media in litteris praeter apiculos et pedunculos, si quos habent. Apices habent *b* et *l*; pedes *p* et *q*. Iam in eodem *m* crura sunt imparia; primum brevius est medio, et nimis magnam caudam trahit, sicut et illud *a*, nec satis imprimis pennam chartae: vix haeret atramentum, nec disgnoscas quae sint elementa. Quod litteras has transformare tentaveris, erasis particulis cuspidi scalelli, magis deturasti scripturam: satius fuisset tenuem lituram inducere; tum, et quod superest verbi in fine versus, transferre in caput sequentis.

MAG. – Tibi semper levissimae offensiones satis magno impedimento sunt, ne pergas, sed quidquid est in manibus, abiicias illico.

TIT. – Redemus iam ad paeceptorem.

MANR. – Videtur tibi tempus?

TIT. – Metuo ne paepterierit iam tempus; nam solet mature coenare.

MANR. – Eamus. Pulsemus fore annulo,

etsi patentes; nam hoc fuerit urbanius.

Ta, ta ...

MANR. – Nos id libenter imitabimur, eo magis quoniam exemplum est regis.

MAG. – Recte facitis. Sed ne coniungatis omnes litteras, nec omnes separatis. Sunt

quae vinciri inter se postulant, ut caudatae, cum aliis, velut *a*, *l*, *u*; item hastatae, ut *f* et *t*. Sunt quae recusent, nempe orbiculatae *p*, *o*, *b*. Quantum poteritis, recto capite scribite; nam inflexo atque incumbenti defluunt humores ad caput et oculos; unde morbi nascentur multi et videndi imbecillitas. - Accipite alterum exemplar, quod exprimatis cras, Deo propitio:

*Sed proposita, nec te venturas differ in horas.  
Qui non est hodie, cras minus aptus erit.*

Et aliud:

*Currant verba licet, manus est velocior illis:  
Non dum lingua suum, dextra peregit opus.*

TIT. - Visne etiam, ut lituram hanc reddamus?

MAG. - Lituram sane, modo et alia probe exarentur.

MANR. - Interea optamus te bellissime valere.

MAG. - Item ego vobis vicissim.

## EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCII

ANDREAS AVENARIUS S. V. D. EMMANUELI  
Jové C. M. F. salutem dicit.

Expectatissimae litterae tuae mirifice animum oblectarunt meum, et sunt hoc mihi pretiosiores, quod, quidquid litterarum ex tuis prodit manibus, ab occupatissimo viro procedere nemo est qui audeat negare, modo «Palaestram» cogitet, quandam prolem tuam, tuis diurnis, et haud scio an etiam nocturnis sollicitudinibus alendam, vestiendam, ornandam. Cui quidem et ipse, simulatque potuero, aliquantulum ex meo victus subministrabo. Sed mihi, quotiens otii subduxi rationem, plane videor in «novam commorationem» transiens ex Scyllaeis angustiis in voracitatem incidisse Charybdis, aut potius ex voraciitate Charybdis in Scyllaeas fauces. Ve-

<sup>1</sup> Cfr. super. fasc. mensis Ianuarii.

rumtamen utriusque nostrum esse reor manere in vice epistolarum tot annos observata, et mihi videntur fasciculi *Almae Romae* ornatiiores esse, in quibus aliquid nexum sit tuarum responsionum. Utinam vero aliquando ex iis, quibus tam liberalem damus in commercium nostrum prospectum, societatem similem sibi vel nobiscum vel inter se sine undam alii decernant.

«Suscitabulum» igitur tuum<sup>1</sup> optime inventum dico. Quam verum est, quod *Alma Roma* in hunc annum praefatur: optimum studium linguae vocabularii lectionem esse; multa, qui faciat, perceptuum esse nostris adhuc rebus et institutis respondentia. Persequerer, ubi id ipse saepe essem expertus, nisi horologii ad horarum quadrantes inclemens et inexorabilis tinnitus commendaret brevitatem.

Sed vide, quam sit utile, si quid scire velis, interrogare. Tu mihi obtuleras «suscitabulum». Qui Germanice callent, intelligent vix aliam vocem inveniri potuisse, qua haec *Wecker* redderetur significans. Nunc autem utraque, solam quem protulisti, in continentis quidem sermone sane rem subiectam clare satis enuntiat; absolute, parum. Subit igitur adhuc gaudenti «suscitabulum» tuamque non minus in respondendo humanitatem: sic dispergi ambiguitatem auribus Latinorum, si quis, quoties illud instrumenti vult intellegi «expergificum horologium» vel «suscitabulum horologiarium» nominet, sicut Germanorum auribus non relinquamus dubium inferentes *Weker-Uhr*. Et hoc quidem mea fert opinio.

Nunc quoniam loqui coepi, est aliud, in quo mihi haereat aqua. Animadvertis in mihi satis procedere male in Roberti Scotti facinore antarctico? His igitur ipsis diebus quidam, dum consedemus ad mensam, mentionem fecit cuiusdam curruum generis bellicorum, quibus uti cooperunt

Angli contra Germanos in Gallia pugnantes, quos illi suo vocabulo *tanks* vocabant, Septena tum illa monstra pernicie voventia singulis horis percurrisse chilometra, nunc constructa esse, quae eodem tempore legerent septuagena kilometra. En, inquam, post nonnullos annos, vehicula, quibus non tribus mensibus, sed diebus, ad antarcticum polum facile labar ego, intra machinamenti viscera tutus ab iniuria frigoris! Et quoniam in sexta parte mundi sermone Latino utemur, scire iam nunc cupio, quo nomine vehiculum appellam meum. Nam *tank* ante bellum mundi dici memini receptaculum aquae ex ferreis laminis simile cistae effectum. Nostros audio fecisse *Kampfwagen*, h. e. currum pugnae, nomine, ut mihi videtur, parum proprio. Itaque si quid tibi occurrerit, te oro, ut me facias certiore, nam facies mihi gratissimum.<sup>1</sup> Vale.

Ex oppido Tirschenreuth Bavariae, vi Kal. Mart.

## AD SANITATEM TUENDAM

Aphorismi sive praecepta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.<sup>2</sup>

Quidam nomine REVECHE satis declaravit, saepe innocue e pulmone sanguinem reiici; nam vidimus eum saepe febris detentum, cum quibus alias cruentum expuit, alias sanguinem e pulmone spumantem expectoravit: sed hoc putamus ob mollitiem pulmonis fieri, ut id esset illi instar evacuationis solemnis aut per na-

<sup>1</sup> AVENARIUS noster oblitus profecto est eorum, quae de arguento abunde scripsimus in *Almae Romae* fasciculo mens. decembr. MCMXVIII (a. V, fasc. XII).- I. F.

<sup>2</sup> Cfr. fasc. sup.

res, aut per haemorrhagiam. Quod quum fit, et suspicio inflammationis non est, et quae adest febris, non ob vitium in pulmone oboritur, sed propter corruptos in mesenteriis humores, tum minus formidandus est ille impetus sanguinis per os: nisi enim magna vasorum pulmonis esset mollities, impetum sanguinis non facile sustinens, ad nares sanguis viam affectaret. Vidimus, qui saepe minore quantitate sanguinem a pulmone reiecent, quos proxime tabes sit consequuta. Quamquam magno opus est iudicio, ut distinguas, an excretio illa sanguinis sit formidanda, an non, quam parvi non referat scire, quomodo se, ea in re, gerere oporteat. Iam GALENUS et BALLONIUS agnoverant statum pneumaticum et phlogisticum sanguinis sputorum. (STOLL).

§ 452. - *Hippocrates* (in *Aphorism.*) scribit: Qui sanguinem evomunt, et sine febri, salutare; si cum febri, malum curandum refrigerantibus et adstringentibus. — Hoc consulit sumpta indicatione ab ipsa excretione. An tuto ista adstringentia praescribuntur? Nequaquam; nisi magna cum cautione. Nam nisi usu rerum mellitarum aut oxycrati dilutissimi purgaveris pulmones eo sanguine, qui materialiam in eis trahere posset, metus est, ne corrumpatur, et ita plethoram accersat.

Male BALLONIUS *Hippocratem* intelligit de sputo sanguinis. Interim tamen BALLONIUS agnoverit optime adstringentia in sputo sanguinis nocere. (STOLL).

§ 453. - Pillulae ex rheo, massa pillularum, quibus et castoreo veteres, consummatas fere gonorrhœas et foedas profligaverunt.

§ 454. - BALLONIUS, etsi variolas et morbillos nominet, tamen rubeolas videtur vocare, quas nos hodie morbillas appellamus. Data rubeolarum descriptio nostris morbis per omnia exakte convenit.

(Ad proximum numerum).

## ANNALES

## Conventus pro discessu ab armis.

Conventus ad cautiones requirendas quibus discessus ab armis per omnes nationes fiat, de cuius initio in superiore ci-vilium eventuum recensione nostra mentionem fecimus, per integrum mensem inter discrepantes disceptationes productus est, praesertim circa rationes a Gallico legato propositas, ut nempe exercitus unus constituatur ex delectis omnium gentium militibus, qui in Societatis Nationum potestate, huius iussa imponere valeat.

Melius ad usum Anglia proposuit, ut certi fines belli comparationi constituerentur, quos ne transgrederentur omnes et singuli fidem dare deberent; itemque per internationalia foedera instrumenta quedam bellica excluderentur, ea praesertim quae locorum innocentiumque civium infandam ruinam allatura essent. At vero — Anglicus legatus addidit — necesse impensis est, ut internationalis auctoritas creetur, quae reapse invigilet ut huiusmodi praecriptiones observentur, et, in violationis castu, contra foedifragos per totius orbis sanctionem efficienter agat.

Ne in longum trahamus vel summa omnium orationum — quae non minus quam quinquaginta fuere! — attingentes, dicemus, reiectis Russicis consiliis de universis ab armis discessu, ratum habitum esse propositum Anglici legati Simon, cui et Septemtrionalis Americae, Italiae et Galliae ipsius legati accessere, in examen revocandi ad rem excogitata ab illorum virorum coetu, qui ad conventum parandum delecti fuerant; de quibus, sedulo perpensis, quisque mentem suam proxime aperiat. Itaque... ad conventum alium res definienda traditur!

## De discrimine inter Iaponios et Sinas.

Plenaria, quae vulgo dicitur, sessio Nationum Societatis, ad quam Sinensis legatus provocaverat, ut discrimen cum Iaponia sollemniter dijudicaret, minus visa est accedere nonnullis Sinensium rogationibus, dum hinc inde induciae ab ipsa Societate indictae violentur, et arma varia fortuna adhibentur, altera parte alteram incusante. Interim Manchouria provincia sui iuris sese edixit; reique publicae praesidem ad vitam sibi elegit totius Sinarum gentis quondam imperatorem.

## Gallicus luctus.

In suo rure, quo secesserat ad infirmam valetudinem reficiendam, viribus, contra, cotidie deficientibus, supremum spiritum edidit Aristides Briandus, qui pluries, ad hos usque dies, Gallici gubernii praeses, prudentia sua optime de patria meritus est; imo de orbe universo. Acer enim restituendae ubique pacis adsertor exstitit, apud Societatem praesertim Nationum, quam pariter paterna, prope dicam, auctoritate est moderatus.

POPULICOLA.

## VARIA

## Pyra.

Fuit olim in Lusitania, ut vetustis monumentis proditum est, quidam probus vir, cui unicus filius erat, quem in deliciis habebat. Quum autem videret eum sincero et ad recte agendum propenso animo esse, nullo non tempore observabat, metu ne pravis multorum aliorum moribus corrumperetur. Qua de re saepe multum ser-

monis cum illo habebat, monebatque ut a malis sodalibus, quum maxime posset, caveret, et curabat ut ea tenella aetate ipse intelligeret quis, et quanam de causa malum perpetraret. Puer paternis monitis audientem se exhibebat; attamen quadam die sic eum alloquutus est: « Quid times? Ego pro certo habeo, me nullo unquam vitio infectum iri, et spero aliter eventurum; nempe ut ipsi, mei exemplum imitati, virtute praediti fiant ».

Pater cognoscens, verba, quem fructum cupiebat, haud ferre, ad artem configere statuit; repletaque pulcherrimis et speciosissimis pyris cistula, eum donavit. Sed quum ex quibusdam parvis indicis perspexisset, non multum abesse, quin aliquod ex ipsis corrumperetur, integris miscuit. Puer laetitia perfusus fuit, et quemadmodum fieri id aetatis solet, cupidus videndi, quot et quae essent suae divitiae, dum pyra numerat atque intuetur: « Quidnam — exclamat — fecisti, o pater? Cur haec vitiatae cum integris miscuisti? » — « De hac re nihil pensi habe, fili mi, — respondit pater; — haec pyra eius sunt naturae, ut integra vitiatis integritatem afferant ». — « Videbis — repetit puer — intra paucos dies contra futurum ». — « Utique erit, non erit »; pater instat, ut vitiata relinquat ad experimentum agendum.

Filius, quamquam invitus, assentitur. Clauditur cistula in arca, cuius claves a patre sumuntur. Puer identidem patrem rogabat, ut reseraret: pater cunctabatur. Tandem ei dixit: « Hic est dies statutus; en claves ». Puer aegre exspectare poterat, donec sera clavem sentiret; sed vix cistula aperta fuit, quum pyra, quae omnia mucore obsita et corrupta erant, iam non videt. « Heus! an non dixi — clamat ille — ita fore? Nonne factum est quod dixi? Mi pater, tu auctor fuisti!... » — « Minime de hoc tibi adeo dolendum est — respondit pater. — Quereris, quod tibi de pyris fidem habere noluerim. Tu vero quam

fidem mihi adiungebas, quum sibi dicerem, malorum hominum consuetudine bonos corrumpi? Putasne, me tibi pro his paucis pyris, quae perdidisti, damnum rependere non posse? At, si tu corrumparis vitiisque contamineris, quisnam mihi damna rependat? »

## Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

*Ovi lutea in iure discissa.**Soleae frictae.**Crustula cum capparibus rupestribus.**Agnus igni assus, solanulis tuberosis saeptus.**Libum Paschale.*

\*\*

## locosa.

Tuccius a Magistro de vocibus animalium requisitus in verba effervescentia prorumpit:

— Equus hinnit, felis maumat, canis latrat, ovis belat, corvus crocit, elephas barrit...

Magister interrumpens:

— Piscis autem?

Tuccius impavidus: — Piscis... frigit.

\*\*

## Aenigmata.

I.

Sum verbum? Raucam vocem designo cani[nam.

Sum nomen? Fuge me, ne spoliere bonis.

II.

Alo, sustineo, gremio gestabo, terenti  
Meque aspernanti quod tibi do repetam.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Sis-tinea-mus*; 2) *Spica-Pacis*.

DE ROBERTI SCOTTI  
NAVARCHI ANGLI, ITINERE ANTARCTICO

[5]

Aegre tum quidem ad suam navem reverterunt, Shackleton adeo stomachace labrāns, ut statim post primum annum subsidiaria, quae tum appulerat, nave in patriam vehi oporteret.

Scottus ipse ad tertium facinus remansit. Nam ea quae sequuta est hieme in hebdomadas undecim sine canibus excurrit chilometra quadringenta viginti versus occidentem in interiorem terram Victoriae, in elatam illam planitiem, quae omnis obiecta nivibus assiduis et glacie post litorum montes infinita extenditur pars continentis antarcticae. Nec profecto minore fortitudine et contentione ad hoc secundum iter opus erat, quam ad prius, et erat unum ex multis et longis et periculosis itineribus, quibus terra Victoriae investigata est.

Navis ipsa mense Februario anni 1904, quum alia navis auxiliī causa venisset, dynamite<sup>1</sup> ex glacie vindicata est. Mense Septembri eius anni quum plus tres annos fuisset peregre, revertit in Angliam. Robertus Scottus et eius socii fortissimi viri a suis civibus summis affecti sunt honribus: iure, inquam, et merito, quandoquidem nemo ante eos cum tanto fructu ex investiganda antarctide redierat.

Magnam Scottus suo ad polum accessū ingeniorum movit admirationem. Si Peary<sup>2</sup> tum ad arcticum polum perventurus esse videbatur, cur non ex mari Rossio per glaciatum illum sinum via esset ad po-

lum antarcticum, tantum cui Scottus iam propinquasset? Et post paucos annos id paene contigit ei, quem supra diximus, Ernesto Shackletoni. Qui ea usus scientia, quam ex Scotti incepto comparaverat, anno 1907 navem, cui *Nimrod* nomen indiderat, solvit, et vectus in terram Victoriae non longe ex eo loco, ubi constiterat navis *Discovery*, hiemavit. IV kal. Nov. anno 1908 trahis profectus, quibus non canes, sed, qui laborum patientiores esse viderentur, Mongolicos manulos iuxerat, miranda fortitudine principio Scotti fere itinere emititur marinam glaciem usque ad marginem antarcticae continentis, hic leniter versus orientem inflexam. Porro in istam enititur marginem per adstrictam gelu montis Beardmore niveam crustam,<sup>1</sup> et continuato itinere per planam regionem ad tria millia supra mare porrectam, et glaciatam omnem, V Idus Ian. anno 1909 gradum attigit duodenagesimum, punctum vigesimum tertium, quo ex loco polus ipse spatio abest chilometrum centum et undeoctoginta.

(Ad proximum numerum).

A. HABERL.

<sup>1</sup> Non habeo quod rectius et significantius pro «dynamite» dicam; satis habeo intelligi.

<sup>2</sup> Roberti Edwini Peary Americani vita continetur annis 1856-1920. Quinque itineribus per vestigavit mediterraneam Groenlandiae glaciem et eius actam septentrionalem. Demonstravit Groenlandiam insulam esse.

<sup>1</sup> Scilicet me laborare in reddenda voce Germanorum, quae est *Gletscher*, quem Gallus vocat *Glacier*, et coacervatam glaciem montium interpretatur. Mihi placuit facere «crustam niveam montis adstrictam gelu», exemplo Curtii, quem Georges meus, insignis compositor lexici, sic loqui testatur, *Gletscher* ut sit: mōs perpetui obsitus nivibus, quas frigoris vis gelu adstrinxit.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreon.,  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. IOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

